

P I S A

1 6 0 8





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*



v.

an 15

DISPUTATIO II.

*De*

**AFFECTIBUS  
ADHUC IN GENERE,  
ET IN SPECIE DE AMO-  
RE ET ODIO.**

*Quam*

*Auspicijs S. S. Trinitatis:*

*Consensu amplissima Facultatis Philosophicae*

*In inclutâ Academia VVitebergensi*

*Publicè & placidè ventilandam proponunt*

**M. NICOLAUS HARDKOPF**  
Stadensis, Saxo:

*Et*

**JOHANNES STEPHANI** Hil-  
desianus, Saxo.

*Scaliger de Plantis. p. 289.*

*Omnis disputatio tum jucundâ eget aspersione civilitatis, tum habet  
opus modo quodam temperato.*

**Ad diem 7. Maij in Collegio Philo-  
sophorum: horis matutinis.**

**VVITEBERGÆ,**

**Typis Cratonianis, per Joan. Gorman.,  
ANNO M. DC. VIII.**

4 2







V I R I S

Amplissimis, Prudentissimis  
multaq; rerum usu & experientia  
præstantissimis,

Dn. CHRISTOPHORO MEI-  
ER inclytæ Reip. Hildesheimensis  
Consuli consultissimo,

Dn. CONRADO HARDINCK.

Dn. GEORGIO DETMAR.  
Ejusdem Reip. Magistris Equitum,  
strenuissimis,

NEC NON

*Reliquis Senatoribus, Camerarijs &  
Patribus patriæ:*

Dn. Patronis Mœcenatibus suis omni  
observantiæ studio perpetim colendis,  
*In perpetua observantiæ monumentum*  
submitte offert

*Johannes Stephani Hildesh.*  
Respondens.





Vicquid sine DEI commu-  
nionē facias, id verò factum ne putes, *piè ait*  
*Scal. Poët. l. 3. cap. 111.* DOMINI igitur JESU  
spiritus hic adsit nobiscum: qui nebulas om-  
nes differat, seq; ipsum verum Solem, &  
aperiat & reducat: *id. Exerc. 258 s. 1.*

### THESIS I.

Actum in primâ disputatione nostrâ  
de Affectibus in genere: sed actum ita, ut agenda supersint. De Affe-  
ctuum igitur Numero, Distinctione Ordine, & communibus Affe-  
ctionibus, nec non de Quæstionibus, prætermisissis hactenus alijs, ini-  
tiò hac vice agemus: additis postea ijs, quæ de AMORE & ODIÒ  
in specie.

2. De Numero Affectuum non eadem Philosophorum senten-  
tia. Pauciores alijs, alijs plures recensent. Gratiâ inibit luculen-  
tam, & à nobis, & fortè alijs, qui simpliciter, tot esse Affectus dix-  
erit, & ubi dixerit, probârit.

3. Aristoteles nil certi de Affectuum numero tradidit: *Piccol. g. 1.*  
*cap. 10. Vide l. 2. Rhet. & cap. 5. l. 2. Moral. Nico: nec dubitabis.*

4. Nec certiores Plato, Galenus, Cicero, alijsq; adeò, ut numeri  
alicujus Affectuum rationem nullam assignasse inveniuntur. *confer.*  
*Piccol. loco alleg.*

5. Et licet non desint, qui accuratè satis eum Affectuum nume-  
rum se tradidisse putent: addere tamen nobis semper liceat hæc:  
UTINAM præstitissent: *Ex Lelio Peregr. p. 156. edit: Sculteriana.*

6. Discrepantiæ autem Philosophorum circa illos etiam Affectus,  
qui hinc inde recensentur, causæ potissimum hæc sunt. 1. Cohærentia  
& quasi mixtura. Affectuum enim unusquisq; alijs certa quadam  
serie copulatur atq; adhæret. *Mocenit. p. 463.*

7. Exempli gratia, Inconstanti spei inconstans timor admistus  
est. Neq; planè dijudices, utrum sit, spes an timor. *Scal. Ex. 317. s. 1.*



8. Hinc ergo diversitas inter Philosophos, dum alij simplices à compositis sejungunt, alij commiscent.

9. Altera causa est in ambiguitate vocum, quibus hac in re & utuntur, & abutuntur Philosophi, ut sæpè, de re cum conficit, de nominibus certetur.

10. Quamobrem & Scaliger nominum, quibus Affectus exprimiendi sunt, distinctionem requirit dicens *ad Cardanum*: Maxime intererat tuarum subtilitatum statuere multorum nominum differentias, quæ ad significandum coherentes affectus excogitata sunt.

*Exerc. 312.*

11. Diversarum idcirco rerum notiones diversis nominibus si indicarentur, res esset planior. Quamvis & hic verborum penuriam profiteamur. Plures enim res quam vocabula. Scaliger. Sed non in his curiosius immorandum. Nimis multi sunt. Divitis verò non est numerare pecus, *ut agebat ille.*

12. Divisionibus Affectuum contenti sumus hisce: *Prima fit ex subjectis*: Affectuum alij ad Appetitum concupiscibilem, alij ad irascibilem pertinent. Ita autem Appetitum rectè distingui hic ponimus tanquam probatum. Non enim omnia principia discutienda etiam, sed quibusdam eorum certis in scientijs acquiescendum simplici intellectu, *ut habet Scal. d.c. 1 l. cap. 4.*

*De Affectuum  
divisionibus.*

13. *Altera fit ex objectis*: Versantur enim affectus circa objectum jucundum, vel molestum: hinc primi & communissimi affectus, Amor & odium: quæ sese secundum *Piccolomineum* ita diffundunt: *cap. 22. quod lectu dignum.*

Amor



Amor & Odium respiciunt objecta facultatis

Concupiscentis & objectum est,	}	Principale, quale est bonum.	{ Per excellentiam jucundum, pertinens ad Venerem, unde Amor vulgò sic dictus. } Iucundum sed latius sumtum, pertinens ad gustatum, & cæteros sensus, unde varij Amores.
		Complicatum cum principali, & hoc nequitur cum cupiditate, quia est	{ Instrumentum { Natura. Unde explendi cupiditas fornicitates principales: Et sunt munera: { cupiditas fornicitatis &c. Fortune. Hinc amor auri &c.
			{ Simile objecto principali. Hinc Amor videndi pulcra, audiendi jucunda, &c.
		{ Principale: { Honoris & oritur Amor { Victoria. gloria & similia. AEmulatio.	
Irascentis & objectum est.	}	iuncta cum eo: & hæc pro eo assequendo.	{ conducunt & oritur { Gratitude Philopria
			{ Non conducunt, sed adversantur, & oritur Ira, &c.

14. Sic sint distincti, ubi autem suo modo distincta, ibi multa, ubi multa, ibi ordo. *Fons. 5. Metaph. c. 1. q. 3. f. 3.* Quis ergo hic? Ordo Affectuum.

15. *Dicemus:* Ordinem non uno hic intelligi posse modo: Aut enim intelligitur ille, qui in illorum tractatione adhibendus est: aut ille, qui in illis est, dum multi simul Affectus circa idem objectum diverso modo representatum, cientur.

16. Quoad ordinem illum priorem, priores fortasse essent illi, qui spectant bonum, hisce, qui malum. Bonum namq; prius malo. Alij ex subjectis, nimirum facultate concupiscente & irascente ordinem sumunt.

A 3 Nec



17. Nec hoc malè. Interim tamen si quis exactissimè ordinare labore, difficultatem sentiet gravissimam.

18. Quoad posteriorem; & illi sæpe præcedunt, qui concupiscentis sunt facultatis, sequuntur qui sunt irascentis.

19. Sed moti confunduntur, ut posterior priori interdum antevertat. *Sed hic difficultas maxima, utilitatis parum.*

Communia  
adjuncta.

20. Communia Affectuum adjuncta sunt, 1. Voluptas & dolor. Nulla enim est perturbatio, quæ dolorem vel voluptatem aliquam junctam non habeat: *Piccol. g. 1. cap. 16.*

21. 2. Alacritas & Torpor; *Vnde Scal. Alacritas mensura quædam Affectuum est: & vegetam vim addit ei, cui adjungitur. Exerc. 317. f. 1.*

22. Verùm ad jucundissimam Amoris & odij contemplationem properamus: & Amoris quidem  $\sigma\kappa\iota\omicron\upsilon\gamma\epsilon\alpha\phi\iota\alpha\upsilon$  præmittimus hanc:

Res brutas, vinum, aurum, equum: qui cum Contractione vini & Auri amor dicitur.

Amor hominis est erga

Hominem

Hunc & illum

Quemcumq; & sic etiam erga Turcas, quem humanitatis Amorem appellare placet, de quo vide *Arist. 8. Eth. cap. 1.*

Seipsum, qui  $\phi\iota\lambda\omega\tau\iota\alpha$  in sano sensu dicitur, de qua *infra. q. 5.*

Affinitate junctum ut

Parentes,  
Fratres,  
Cognatos, &c.

sine Affinitate, ob

Virtutem,  
Utilitatem,  
Jucunditatem.

integram societatem, ut, civis concivem, studiosus studiosum.

23. Hæc sic digessi, non, ut abducam in servitutum judicia libera doctiorum: sed ut ipsi vel hæc admittant, si non incommoda, vel accommodent sua meliora. *Scal. de Plantis. p. 337.* Aliam si mavis Amoris distinctionem, vide *Gabrielem Biel in l. 3. sent. distinct. 29.*

24. Nos progredimur. Amoris in genere causa est bonum, quod est congruentia Naturæ quædam. *Scal. Exerc. 308. f. 27.* Singulis autem quod vel est, vel videtur cuiq; bonum: uti habet *Arist. 8. Eth. c. 2.*

25. Itaq; in Magnis Ethicis, ista sic distinguuntur, ut aliud esse  $\tau\omicron\phi\iota\lambda\eta\tau\omicron\nu$ , & aliud  $\tau\omicron\phi\iota\lambda\eta\tau\epsilon\omicron\nu$  doceatur. Quorum illud generale sit, & simplex: hoc ad singulos pertineat, & multiplex. *Camera in Eth. p. 375.*

In



26. In bono autem ejusmodi duo: *Appetibilitas & Communica-*  
*bilitas.*

27. *Bonum, quatenus appetibile, gignit Amorem, qui passim Con-* *Amor Concu-*  
*cupiscentiæ dicitur, & est, quo quis propter se quempiam vel quidpiam* *piscentiæ.*  
*amat, nullam aliam amati rationem habens. Schegk. in Top. p. 909.*

28. Talis amor est, qui ex utili nascitur: *de quo Ovid. Donec eris felix*  
*&c. l. 3. trist. Eleg. 4. De quo & egregiè Scaliger. l. 3. Epidorp.*

*Non durat amor, si pereat fructus amoris,*  
*Fabricatus amor destruitur ruente fulcro.*

29. Talis & ille, qui ex pulchrâ formâ sibi jucunditatem parare  
studet. Qui enim ejusmodi, porcorum more, qui se saxis affricare  
solent, afficitur.

30. Imo amans ejusmodi hostis potius, & amato infensus, quam  
amicus & benevolus. Extincto enim cupiditatis ardore formaq; de-  
florescente inimicitiarum occasiones quærunt. Unde Juvenalis:

*Si verum excutias, facies, non uxor amatur: &c.*

31. Unde & amanti amore concupiscentiæ gratificandum non  
non est, propterea quod amato talis gratificatio obest. *Schegk. Top.*  
*p. 177.*

32. Neque tamen Amor hic simpliciter malus. Bonus enim,  
quatenus fundatur in aliquo appetitu, Amoris, quo quis seipsum,  
rectè amat. Pessimus, dum ex amore sui malo oritur. *vid. Fons. 5. Me-*  
*taph. 153.*

33. *Bonum vero quatenus communicabile, Amoris, qui Amicitia seu* *Amor Amici-*  
*benevolentia dicitur, parens est & autor: estq; quo amato bene cu-* *tia.*  
*pimus non nostri sed ipsius gratia. Schegk. Top. p. 909.*

34. Amor hic eius est naturæ, ut rebus amatis bonitatis propriæ  
communitatem impertire concupiat. *Jacob. Mazzonius. p. 240.*

35. Ideoq; hic in Amante copia: in amato suo respectu inopia:  
quemadmodum in amante amore concupiscentiæ inopia: in amato  
copia est: *id. ibid.*

36. Hoc amore unusquisq; civilem societatem & proximum,  
amare tenetur.

37. Non enim homo, ut fucus inter apes, advenire debet homi-  
nibus; sed ad vitam communem secum suum deferat symbolum, il-  
ludq; exhibeat ex præscripto hujus amoris: *id. loco alleg.*

Ab



38. Ab hoc enim omnium civilium operationum norma desumenda est. Si enim absit, omne officium perforatum est, ut ait Scaliger.

39. Amoris huius variæ & diversæ species quasi ex objectis diversis, quæ circa versatur, oriuntur, uti vel ex tabellâ paulò ante positâ, patere potest: *missis istis, ut minoribus, de AMORE qui κατ' ἐξοχήν hodie ita appellatur, agendum.*

40. Definimus: Amor est affectus, quo cum re amatâ unimur, aut unionem perpetuamus Scaï. Exer.: 301. sect. 1. vel trib. sic: Est Affectus unionis. id. ibid.

41. Differt ab appetentia & desiderio. Nam postea, quam re' amata potiti sumus, non manet hæc. An etiam non manet Amor? Manet profectò, atq; aliquando fervidior priore; id. ibid.

42. Causa huius est species sive representatio ac forma illa, quæ accidit animo, ut in eo creet dispositionem unionis, id. ibid. Hinc idem alibi oculis aut auribus insinuat sese. Capimur enim aut visu aut fama, Poet. l. 3. cap. 20. Et ille:

*Si nescis, oculi sunt in amore duces.*

Ovid:

43. Species hæc per necessaria: non cognitis enim non posse delectari sensum, etiam cœci, etiam canes in culina sciunt. Scal. Exer. 300. sect. 1.

44. Contrâ, ex cognitione ad unionem datur accessus: quia species cogniti est talis forma cognoscentis. Id. Exer. 307. sect. 26.

45. Species & hæc rei pulchræ vel revera fit vel appareat, requiritur. Deformia enim ut deformia non capiunt animum, ἰσθητόν.

46. E contrario, qui pulchris non capiuntur, barbari & barbaris magis sint barbari, suspicio non levis est. Lælius Peregr. p. 177.

47. Hic de pulchritudine dicendi locus, sed sola definitione contenti hic esse cogimur: infra plura. quest. 7.

Pulchritudo  
quid?

48. Est vero Scaligeri hæc: Pulchritudo est qualitas conflata ex modo quantitatis, temperatura qualitatum & partium situ convenienti. Exer. 300. sect. 2. 307. sect. 27. l. 4. Poet. cap. 1.

49. Ad speciem hanc aliæ postea accedunt Amoris causæ, ut Comitas morum, Ingenij elegantia, venustas, vestitus, cultus, mundities, & alia, quæ nemini non notissima.

50. Unionis porro dicitur Affectus: Namq; Venus nihil aliud, quam conjunctionem amat. Scal. Exer. 298. f. 10. Et: amans cum amata  
re un-



re unum esse quoad licet appetit. Quo circa & hærent & corpora con-  
ferunt: & spiritus duos oculorum conjunctione, unus ut sit, faciunt.  
*Exerc. 310. sect. 2.*

51. Quæ enim duo sunt, atque unum esse queunt, appetunt ef-  
se unum. Hoc enim est, eorum Esse verum.

52. Quod Esse, ut amantes legitimè obtineant, Conjugium,  
subsequitur: à quo Amor iste antecedens perficitur, ut civile offici-  
um, aut militare perfectionem accipit à legislatore, aut ab Imperato-  
re, accepto scilicet præmio, quod propositum erat beneficienti. *Scal.*  
*Exerc. 307. sect. 26.*

53. Hic Amor, de quo usq; huc, in se & suâ naturâ bonus: ex-  
trinsecis autem accessionibus depravatur, quod cum fit Libido dici-  
tur, *quæ est appetitus sine iudicio. sine modo, nec sine bono, nec Amoris appellatione*  
*digna. Id. Exerc. 317. sect. 2.*

54. *Sine iudicio*, ut si quis amet scortum, vel in reliquis Amoris Le-  
gitimi circumstantijs erret. Et tali Amori In constantia comes est.  
Nam *Post iudicium quisquis amat, diligit usq; :*

*Non tollet Amor iudicium, aut illud Amorem. Scal. Epidorp. p. 49.*

55. *Sine modo*: ut si uxorem amem amore meretricio, *Id. loco allega-*  
*to.* Huc referimus, si quis plures simul amet, aut se amare fingat.  
Uni enim verus debetur amor, *de quo locuti sumus sub antea.*

56. *Non bono fine*, ut si quis solius voluptatis causa amet. Non  
enim malè *Piccol ait*: Proles generatio (& amor) non est dirigenda ad  
voluptatem, sed viceversa, voluptas ad eam. *g. 9. cap. 19.*

57. Qui enim non ut generent coeunt, sed ut libidinentur, bru-  
ti homines sunt. *Scal Exerc. 131. sect. 4.*

58. Ipsi usuvenit, quod & potioribus. Sapientes bibunt, ut  
ne bibant: nebulones bibunt, uti bibant: sic sapientes coeunt, ut  
ne coeant, bruti coeunt, ut coeant. *ibid.*

59. Sed satis patet differentia inter eum Amorem & eam Ve-  
nerem, quæ liberos quærit; & quæ, nescio quid cæni obligurit ani-  
mo, *id. Exerc. 299. sect. 2.*

60. *Effecta Amoris subtilissima*: sed nos de ijs brevissimè. Ergo per ta-  
bulam. *Effecta & ad-*  
*jecta Amoris.*

**B** *Effecta*



Effecta Amoris  
alia sunt in eo, qui

1. *Obtinere laborat  
qualia sunt:*

- 1. *Affidua rei amate meditatio, unde oblivio sui.*
- 2. *Operum intermissio.*
- 3. *Obsequia, & placendi studium.*
- 4. *Dona, & eorum asservatio.*
- 5. *Imagines.*
- 6. *Spes, tristitia.*
- 7. *Suspiria, lacrymæ, pallor, pulsus inæqualitas.*
- 8. *Cantiuncule & tragica illa vox*  
*ὠδὸν. Scal. 3. Poet. cap. 124. &c.*

2. *Qui obtinet:  
qualia sunt*

- 1. *Acquiescentia.*
- 2. *Gaudium.*
- 3. *Fruiio.*
- 4. *Interdum Zelotypia, &c.*

3. *Qui nec obtinet,  
vel postquã obtinuit,  
amittit, ut sunt:*

- 1. *Dolor.*
- 2. *Lacrymæ.*
- 3. *Meritorum exprobatio.*
- 4. *Interdum Mors ipsa.*

*Tu verò, qui hac me rectius, vel ex alijs nostri vel ipse expertus es, adde plura.  
Ne tamen grave, vide Scal. l. 3. Poet. cap. 23.*

Remedia.

61. *Libidinis seu inordinati Ardoris, Remedia (nec enim Amor, ut Amor ijs eget) Theologica, Physica, Ethica esse possent, vide quest. ult. disp. 1. Sed sic ἐν συνόψει.*

62. *Quando quis titillationibus libidinis tentatur, oratione, temperantia, & omni diligentia debet repugnare, turpes motus reprimere, impuras cogitationes præcidere, occasiones vitare. Chemn. p. 2. l. c. p. 490.*

63. *Si hac ratione flammæ libidinis non potest restinguere, infundat quasi conjugij aquam, & restinguentur. Non enim conjugium tantum officium, sed & remedium est, uti antiquitas loquitur.*

64. *Utile etiam est singulos sibi ob oculos ponere & sæpe ad animum revocare Prohibitiones, Comminationes & exempla de vagis libidinibus, ut impotentes & beluini libidinum impetus ita reprimantur. Chemn. p. 2. l. c. p. 468. & 472.*

Agere



65. Agere quoq; proderit : nec sese in molliſſimi otij nexum  
dedere, ut cum Scal. loquar. Verum namque illud : *otia ſi tollas, &c.*  
Et illud ejuſd.

*Vt Platanus rivo gaudet, ut populus undâ,  
Et quam limosâ canna paluſtris humo :  
Sic Venus otia amat, Finem qui queris Amori,  
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.*

66. Sanctiſſimi ſcilicet patres Franciſcani (ut & Moniales) qui ca-  
ſtiores evadant, vide apud Scal. Exerc. 141. ſect. 7. Et hæc de Amore.

67. Odium eſt appetitus amovendi rem aliquam. Amoris enim  
contrarium eſt : quippe iſ appetitus Unionis. Scal. Exerc. 316. ſect. 1. &  
307. ſect. 9.

Odium.

68. Odium vero duplex. Alterum originem ducit ab amore  
pravo ſui, quo pacto perdit & ſclerati odio habent leges & magi-  
ſtratus, ut ſibi infeſtos. Læl. peregr. c. de odio.

69. Alterum ſiſtit in re ipſa, quam odio habemus : ſic boni ode-  
runt improbos. Et hoc odium perficit voluntatem, ut ait Scal. Exerc.  
307. ſect. 9.

70. Idem autem numero actus, qui eſt amor finis, poteſt reipſâ  
eſſe ſimul odium eius rei, quæ fini intento repugnat. Vide Fonſ. 6. Me-  
ſaph. p. 36.

71. Imò odiſſe malum, eſt amare bonum, & contrâ. Idem enim  
numero appetitus eſt, qui à malo abhorret, & qui bonum perſequi-  
tur. Schegk. in Top. p. 248.

72. Odium ab Invidiâ diſtat. Juſtiſſimè odiſſe poſſumus, ſine culpa  
invidere nunquam poſſumus. Hinc Scal. Optimi viri eſt odiſſe mala,  
malè velle cupiam, neq; optimi neque boni eſt. Exerc. 316. ſect. 1.

73. Ex offenſione odium licet non ſemper. Non enim offen-  
dit me iniquus iudex, cum tamen odi, ut meritus eſt. Scal. ibid.

74. Hæc ſic poſuiſſe placuit : verum ut exactius etiam ſpecum hanc introſpi-  
ciamus, Quæſtiones quedam non prætereunda videntur.

## QVÆSTIO I.

*Quæ Viilitas doctrina Affectuum ?*

Graviter Seneca : Quæ dementia, ſupervacanea diſcere in tantâ  
B 2 tempo-



temporis inopiâ? *Epist. 47. Et Lipsius*: O thesaurum, non ultrâ reperien-  
dum tempus? Fluit assidue & nobis effluit: quod unum avariter  
habere debeamus, & nullâ merce aut precio permutare. Quid argu-  
ramur? Bene ponamus hoc, quicquid datur. *l. 2. Physiolog. stoica c. 24.*  
Quid ergo? Num & nobis temporis in Affectuum Naturâ inquiren-  
dâ & considerandâ collocati ratio constare potest? Censemus sanè,  
nec temerè aut præter rationem. Nam 1. Affectus in actionem  
tendunt. *Scal. d. c. l. l. c. 115.* Et per Affectum externus actus produci-  
tur. *Moceni p. 440.* Et, Voluntatis actus ut sit, Affectus faciunt. Nam  
quia tui me miseret, volo civibus commonefactionibus concur-  
rere. *id. Exerc. 307. sect. 4.* Adeo, ut jam nihil officij à nobis proficisci  
possit, nisi moveamur: sed Affectus in omni actione sentiantur.  
*Piccol. g. 1. cap. 1.* Audis respondere civiles nostras actiones Affectibus.  
Quid vero hoc ad utilitatem Doctrinæ Affectuum? Sed attende:  
Commoveris aut rectè, & uti decet, vel non. Si hoc, Doctrina Af-  
fectuum rectè percepta norma quædam erit, ad quam ubi exami-  
naris tuos istos impetus indecentes cognosces, & franges. Sin illud:  
& hîc pro Cynosurâ & Helice observabis doctrinam. Exemplar  
enim est & idea, determinans quousq; progredi licitum, ubi sisten-  
dum. *En tibi dictorum testem Scaligerum: Exerc. 307. sect. 5.* Interdum vel  
divinâ luce radiata, vel exulta disciplinis, vel usu exercitata atq; in  
sefe collecta anima, perinde atq; facto globo, depellet (Affectus in-  
telligit) hostes. Usus ergo Doctrinæ Affectuum cuilibet in sin-  
gulis actionibus esse poterit.

2. Ut per facultates, quas nominant, quasi eamus, THEOLOGO  
hæc Doctrina prodest. Quot enim huic de Affectibus habendæ  
conciones? Horum natura explicanda est; alij in auditorum animis  
excitandi, alij extirpandi. Certè & hic Doctrina hæc Philosophica  
ipsi suo modo subveniet. Huc non in commodè quædam *ex parte 2.*  
*l. com. D. Chemnitij* & præcipuè ex 5. præcepto, applicabis. Adde quod  
Theologis olim ad hyperbolas Stoicorum debellandas hæc doctri-  
na profuerit. *Confer Chem. p. 2. loco. Com. p. 288.* Nec olim, sed & hodie  
contra homines non homines, Iesuitas nonnullos eius esse potest u-  
sus. τὸ ἀνπελαργεῖν parentibus denegari rectè à liberis, qui intra mo-  
nasteriorum claustra latitant, effutiunt. Hæc ipsis in ore regula:  
Per calcatum perge patrem, sola in hoc genere pietas est, esse crude-  
lem: *Vide Chem. p. 2. l. c. p. 501.* sed hi homines vel hæc Doctrina Affectu-  
um



um refutari poterunt. De quo si placet *vid. quæst. 5. disput. 1. Tandem*  
& usum hæc doctrina habet in loco de Contingentia & Necessitate.  
*Consule Chem. p. 1. Loc. Com. p. 460. 461.*

3. Jureconsultis. Hi olim in legibus condendis, hodie in inter-  
pretandis, maximè verò in jure dicundo Affectuum rationem ha-  
buerunt, & habent. *vide Lal. Pereg.* imò scriptura ipsa huc respexit,  
dum mitiorem decrevit pœnam ei, qui dolore impulsus proximi sui  
interfectorem occidit. *Deut. 19.* Vide mihi vel unicum illud judici-  
um Salomonis (*3. Reg. 3.*) nec dubitabis. Ex Affectu enim amoris in-  
tenfiore veram indagat matrem, cui & puerum adhuc viventem  
reddit.

4. Medico: in valetudine suâ & aliorum (& cuilibet in suâ) tum  
tuenda, tum restituendâ, nec non ad morbos dignoscendos. *vid. Pereg.*  
*confer Langium in Epist. Medicinalibus.* Adde non hic fallentem experi-  
entiam.

5. De Philosophis res expedita est. Cum enim Affectuum do-  
ctrina suum in Physicâ, suum etiam in Ethicâ, diverso licet respectu  
(*vid. q. 1. disp. 1.*) locum habeat, sinè eâ ne nomen quidem, titulumque  
defendent. *Quid hoc? αἰσχροῦ.*

## QVÆSTIO II.

### *An & quomodo Affectus in Deo?*

Pietatis plenissimum est illud Scaligeri, *Exerc. 351.* Omnes nostras no-  
tiones efficere æquum est, ut ducant nos in pleniorum Dei Opt. Max.  
cognitionem. *Videamus ergo & nos, occasione hanc nacti, An & quomodo Af-*  
*fectus sint in Deo.* Scripturæ & Dei vox est: Charitate perpetuâ dilexi  
te. *Jerem. 31, v. 3.* Inversum in me cor meum &c. *Osee 11, ver. 8. 9.* Adde si  
*vis, loca plura.* Hæc autem num more modoque capienda humano?  
Falleris: *Omnium calculum meretur hoc Scaligerianum:* Non melius intel-  
ligimus DEUM, quam per ea, per quæ negamus nos intelligere, *Exer.*  
*365. sect. 2.* Res enim divinæ; excellenter admodum per negationem  
aliarum conditionum naturæ inferioris declarantur: ex *Fons. 6. Me-*  
*taf. p. 41.* Sic & hic: Deus irascitur malis, amat pios. Sed quomo-  
do? Non ut homo hominem. Res & certa, & nota modus fat cer-  
tus nemini. Per *αἰσχροῦ* hæc dicta accipienda esse, multi di-  
cunt: alij non secundum affectionem, sed effectum. *Sic Lyra, citan-*  
*te Osiandro, in cap. 6. Genes.* Non improbamus: sed addimus illud: satis



fit aliquid concipere, quod, quanquam haud implet intellectum, non tamen eum vacuum relinquit *Scal. Exerc. 359. sect. 12.* Nisi quis his contentus fuerit, merum sentiet mare, cuius aestu vel nolens rapiatur. *Scal. de pl. Plura vide apud Chem p. 1. L. Com. p. 70.*

### QUÆSTIO III.

*Quid virtus & Affectus bonus differant?*

*De quæsto hoc nos breviter sic:* Virtus accipitur fusè & restrictè. Fusè sumta includit affectum, (nulla enim virtus sine Affectu: quod dubitanti probabitur) cuius modus quidam est: *vid: Piccol. g. 1. cap. 32.* Quo pertinet illud *Scaligeri:* Virtutes nihil sunt aliud, quam Affectus temperati recta ratione *Exerc. 307. sect. 5.* dum vim suam in inferiores Animæ potentias, & ipsos præcipue Affectus immittit, (*Mocenius p. 4. 2.*) Restrictè, pro eo tantum modo, qui à Ratione Affectibus obvenit, unde & recta Ratio virtutis Formalitas & essentia, *ab eodem Scal. dicitur ibid. sect. 3. & 5.* In hac significatione Virtus ab Affectu differt. 1. enim nulla mediocritas in Affectibus, est ipse Affectus. Virtus est mediocritas in Affectibus. *Schegk. Top. p. 1159.*

2. Affectus esse & servari possunt sine virtutibus (licet non contra) Quæ jam ita existere possunt, quin inter se differant, dubium nemini esse poterit. *Confer. M. Guiliel. Vrsinam disput. 18.* Nec obstat, quod *sup. disp. 1. q. 1.* nonnullos Affectus virtutum vicem sustinere diximus: quasi jam nihil amplius differre videantur. Hic enim ex mente Aristotelis virtutem habitum crebris actionibus acquisitum intelligimus: ibi magis ex Scriptura S. & Theologicè, quam ex Ethicâ decentem Affectum virtutis nomine dignati recte sumunt. *Sufficit.*

### QUÆSTIO IV.

*Quodnam adequatum & primarium Affectuum subjectum?*

*Verum est illud Schegkj:* Multum refert cui primò aliquid insit, cognitum & exploratū habere. *Top. p. 306. Sed verum & illud eiusdem:* Difficile est cognoscere, in quo primo subjecto unumquodq; sit. *ib. p. 948.* Nos viam ingrediemur hanc: Aut anima, aut corpus, aut compositum, subjectum adequatum erit. Non Anima per se. Licet enim necessariò adsit respectu operationis, non tamen respectu passionis Patebit ex sequentibus. *Interim vid. Schegk. Top. p. 214. 1657. 2.* Non corpus, ut corpus, seu massa est: Huic enim nullo modo, quæ ad affectus requiruntur applicabis: quod consideranti manifestissimum. Relinquitur ergo



ergo totum Compositum, animal scilicet perfectum Affectuum, adæquatum subjectum esse. Rem hanc omnem audi ex Aristotele, qui l. 1. de Anima, ait: *Dicere irasci animam, simile est, ac si quis dicat eam texere, vel edificare. Melius enim fortassis est non dicere eam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem animam. Hoc autem non tanquam motu in illa existente, sed aliquando quidem usq; ad illam, aliquando quidem ab illa. &c.* Non possum quin ex Schegkio hic quædam addam: Non ipsam per se Animam dicimus moveri, sed animal vel hominem propter Animam. Proficiscuntur enim motus ab anima. Principium enim est movendi, Corpus animatum, sed ipsa tamen per se subjectum esse nequit motionum, & *πρῶτος τῶν*. Quod si à corporis affectibus & qualitatibus in Animam etiam quædam *αἰσ* videantur redundare, ut si bile flava iratam animam dicimus motiones tales non in ipsam pervenient, sed usq; ad ipsam penetrabunt, tanquam ad principium & terminum omnis mobilitatis, quæ inest animato, quatenus animatum. *vid. ibid. plura in l. 2. t. Anal. p. 407. Tribus verbis: rectè intellecta & applicata hæc Maxima (Toti tribuuntur multa quæ partibus sigillatim non tribuuntur) iudicium de hac quæstione formabit, & difficultatis relinquet nihil.*

Quod si tamen de Primario subjecto, seu organo per quod sese maxime quoad actum ipsum secundum Affectum exerant: quæstio sit Cor id esse statum. Dum enim cupiditate aliqua vehementius corripimur corde nos fatigari animadvertimus. Adde quod & ipse loquendi usus id ipsum confirmat: Dicimus enim ex Corde amare vel odisse &c. *vide Lal. per p. 137.*

## QVÆSTIO. V.

*Quoeritur duplex Philantia & que probanda?*

Si vocis spectes Originem Amorem sui denotat. Duplex autem amandi sui ratio, vera & falsa. *Vera est*, per quam quis sibi tribuenda tribuit: Corpori necessaria, quò defensio vitæ pertinet: Animo, dum quis virtutem & sapientiam sibi comparat ijsq; se perficere studet. *vide Schegk in top p. 911.* Hic vere est, cumq; laude *φιλανθία* si in bonam partem retorquer hoc nominis liceat

*Falsa iterum duplex est.* Dum enim non sano sui amore quis capitur, vel sibi plus commodorum tribuit, quam aliis vel se magni aestimat, eaq; sibi bona ascribit, quorum aut inanis est aut parum habet.

Amor



Amor iste iustitia corrigitur, hic, humilitate & Modestia. Qui autem hoc amore dementati, de seipsis pravè judicant, existimantes suam quisq; inscitiam esse sapientiam, se nobiles, divites, pulcros, robustos, fortes, sine causâ somniant. Imò quæ in ipsis mala & stulta, bonorum & sapientiæ coloribus pingunt. Habet hæc *φιλαυτία* comitem *αλαζονείαν*. Quare, & Horatius conjungit (*l. 1. Od. 13. ad Quintilianum*) ut comites vini largius & immodicè hausti: *Quæ*, inquit, *subsequitur cæcus amor sui*:

*Attollens vacuum, plus nimio gloria verticem.*

Qui verò magnus esse voluerit, veritatis & virtutis aliquando particeps futurus, non se nec sua sine ratione amet: sed vera, recta, & iusta, quæq; recta ratio dicat, & prudentes præcipiunt. Nam *ut ait Scal*:

*Plus dimidio fallitur, exciditq; vero*

*Mirans sua, soli sibi comparans seipsum.*

## QVÆSTIO VI.

*An Amare Naturale?*

Quod naturâ est, à specie est. Hoc autem immutabile. *Scaliger Exerc. 142 sect. 1.* Num & Amor Legitimus tale quid sit, quæritur? Respondeo. Non simpliciter verum, quod aliquo modo verum est, existimari debet: *Schegk. Top. p. 23.* Sed id quomodo se habeat limitando & distinguendo, declarandum est, *ibid. p. 24.* Qui enim bene & limitat & distinguit, bene disputat, judicat, & docet, *jam ad rem.* Duabus conclusionibus rem omnem absolvemus. *Prima hæc est*: Amare simpliciter, id est, ad speciei propagationem ferri, à natura est. *Ratio à fine*, qui est speciei conservatio. ESSE est maxime actuale quid, & quædam divini τὸ ἔσθαι participatio, *Dionys. de divinis nominibus cap. 5.* Hujus Esse continuationem Ens omne cupit. Et vellet, si posset in Individuo. Nam cuiq; animantium datus est appetitus salutis, atque conservationis suæ. *Scal. Exerc. 307 sect. 3.* At vero individua intereunt, Ergo species esse æternas satis est. *Scal. Exerc. 288.* Sunt autem æternæ per propagationem, *unde Scalig*: successione comparat æternitatem Naturæ materiæ corruptibili. *Exerc. 188 sect. 1. Et idem l. 3. Poet. c. 11. nectarea hæc de negotio præfenti habet*: Sunt in nobis insita zopyra quædam, id est, femina æternitatis: quam cum haut possimus per nos comparare, generis propagatione assequimur. Incipit enim in filio quod in  
patre



patre definit. *Hactenus ergo Amor ob propagationem datus naturalis est.*

2. *Ex reliquis, quæ à fine hoc supponuntur, patet idem, Natura & DEVS, dedere amandi potentiam. Num frustra? Hoc eius est dicere, qui Natura quid sit nescit. Ad actum potentiam hanc deduci vult. Deducitur autem ab objecto convenienti: & ea quidem quæ in viro à foemina: quæ in foemina à viro. Sic ergo ratione etiam huius principij Amor naturalis.*

3. *Inter potentiam hanc amandi, seu Amorem etiam ipsum & inter finem, propagationem scilicet speciei, partes quædam sunt, & ipsæ naturales, quæ non propter in dividuum factæ sunt, sed speciei causa propagandæ cuiusmodi testiculi; Scalig de pl.p.*

4. *Et Sexuum discrimina, quæ diuina causa, & inanis varietatis gratia facta nemo cogitabit, qui gravi totius S.S. Trinitatis deliberatione foeminam factam esse ex Mose didicit. Si ergo finis, si causæ efficientes, & instrumenta Amoris naturalia, quid ni & ipse Amor? vid. Scal. de in'om. Apot. 12.*

*Alter a propositio sit; Amare hoc & illud individuum, voluntatis humanæ est. Nee hic obstat illud vulgatum: Coniugia sunt fatalia, providentiam divinam cum voluntate humana concurrere indicare si vult proverbium accipimus: si inevitabili necessitate & fato quodam cuilibet viro certam uxorem associat, & contra, abhorremus totis animis. Fraus ergo subest orationi. vide in loco de providentia. D. D. Hunnium.*

## QVÆSTIO. VII.

*Pulchra quomodo delectant?*

*De seipso Scalig. ait: pulchrarum foeminarum venustate mire quinqueor. Exerc 277. Et ritum illud est: Quicquid pulchrum, amicum est. Cui enim, nisi communis sensus experti, non placeat pulchrum? Lal plereg. Quæ verò causa? R. 1. pulchrum est bonum Ex Scal. ex: 307. s. 27. Bonum autem, movet, & dum movet appetitur, idcirco græci κελειν ἀπο τῆ κελειν, quod provocet & inviret: vel ἀπο τῆ κηλειν, quod permulceat intuentes: Piccol. g. 8. c. 35: & Bonum, & honestum, & pulchrum dixerunt una voce. Et αγαθον quod nunc bonum significat perinitia pulchrum designabat: quod dignum multa esset spectatione αγαθον ἀξιον θεας. Scal. exerc 300 s. 5. oblato igitur pulchro aliquo visus, voluptate ex convenientis speciei perceptione perfunditur. Quod si quis negat, nunquam conspexit viridariorum amaritates id. ex. 299. s. 12.*

C

2. Ratio



2. Ratio ex ulteriori pulcri sine esse potest: qui est ut animus à pulcri specie excitatus ascendat ad fontem pulcri, in quo solo desiderium expleat, & felicissimè requiescat. *Piccol. l. alleg. Et scal. ex 300. f. 3. Qui enim externa forma capitur, divinæ pulchritudinis radio in materia fulgente excitatur. Quanquam plerique pulcro viciniori sub sensum cadenti, unice inhæreant, nec facilius inde avellantur, quam à viridi gramine impastus apud Homerum asellus. Lal. peregr. p. 187. Sed ad alia.*

## QUÆSTIO. VIII.

*Quomodo intelligendum: Lis est cum forma magna pudicitie?*

Audacia est ex pauculis propositionibus constituere universalem *Scal. Exerc: 104. f. 17.* Et magno cum periculo universalis propositio enunciatur. Minima enim objectione destruitur. *Id. Ex. 295.* Absit ergo ut simpliciter hoc dictum accipiamus. Thesin potius ponemus hanc: *Fuerunt, sunt, & erunt formosissima quaedam pudicissime: & maximè deformes quaedam maxima Thaides.* Hoc autem inde, quod pudicitiam animi potissimum virtutem statuimus. Constans enim à venere prohibita abstinencia *Scal. 3. Poet. c. 13.* Hæc vero per se esse potest in corpore tam formoso quam deformi. Nec enim pudica satis est, quæ corpus quidem impollutum servat, intus verò Libidinis incendio uritur. Ab externis ergo omne erit, quicquid hic discriminis. Et quidem:

1. *Ex parte parentum:* Si enim ad temperamentum, (quod in formosulis virginibus, concupiscentiis venereis militare, non inrectè statuitur. vide *Sagitt:*) prava accedat institutio & nimia parentum indulgentia, vix erit quod speres. Institutio enim qualis qualis sit, naturæ fidem facit, & addit: *Scalig: l. 3. Poet: c. 118.* Indulgentia autem cum omnes simus deteriores, tum verò maxime sexus fœmineus. Et tamen parentes hodiè multi parentes sunt, quibus bellulas suas virgines occurrari, hinc inde discursare & laxata fenestrâ venaturam oculis facere, volupe est. *Pessimè.* Per OC IUM deses, & supervacaneas cogitationes oculus aberrare, mens perturbari, voluntas depravari solet. Et: Per publicum notabiliter incedens, oculos in se juventutis illicit: *Cypria. Melius filix suæ Pontanus:*

*Disce latère domi patulisq; sedere fenestris  
Effuge, nec visus, vagabunda tuo*

*Nam*



Nam veluti volucres diversis nutibus ora  
Dum vertunt, nidos deseruisse volunt:  
Sic vaga dum vario dispersit lumina visu  
Fœmina, jam castum vult violare torum.  
Et melius, Ægyptiæ, quæ calceis non utebantur, ut domi manerent.  
Plutarch.

2. Ex parte petitorum. Fœminæ quæ malam faciem habent, sæpius  
pudicæ sunt. Non animus illis deest, sed corruptor: Seneca l. 2. Cont.  
1. Pulchriores omnium oculos accendunt. Jam difficile custodi-  
tur, quod plures amant. Et ille ait:

Quis castam, multis quæ placet, esse putet?  
Consilium Horatij, cui pudor curæ, sequatur quod habetur. l. 3. od. 7.  
Primâ nocte domum claude, neq; in vias  
Sub cantu querulæ despice tibiæ:  
Et te sæpe vocanti  
Duram, difficilis mane.

3. Ex parte ipsarum virginum. Faciles nimium Sæpè sunt & credulæ:  
quid distent amatores veri a fucatis miseræ, nisi expertæ, ignorant.  
moventur ab objecto non satis considerato. Quemadmodum vo-  
lucres, quæ feruntur alis sine uropygio, & navis absque gubernacu-  
lo. Scal. Exerc. 308. f. 24. Vide plura apud M. Sagittarium in Templo  
Virt. Nos relinquimus hujuscemodi Epiphyllidas hominibus otio-  
sis. Scal. Exerc. 51.

## Coroll. Affinia.

I.  
Cur Poëtæ de Amore? Consulatur P. Lotichius.

II.  
Mulieres, quibus pulchritudo est curæ, si albidæ sunt, purpureis  
titantur indumentis, non solum quod specierum attemperacione ap-  
parens quidam rubor exoriatur: sed etiã quod apparentem colo-  
rem verus color insequatur, incitatis spiritibus & cum eis sanguine.  
hoc Gocleny est.

III.  
Quare, si quis virginis alicujus amore corripitur, aut amarant  
inter pocula meditetur, citius inebrietur? Hoc experientiæ est, licet non no-  
stre.

IV.  
Vxorne dives an paupera? formosa an desformis ducenda sit? Multa mo-  
nent,



ment, ne quid hic temere pronunciemus. Animi gratiã festiva quæ-  
dam quorundam carmina subjungemus, Condienda enim sunt, ut  
habet Scalig. de pl. p. 279. fastidia vulgariū epularum, suavitate quapi-  
am embammarum: & asperitas itineris salebrofi levanda diverticu-  
lorum amœnitate, in quibus paulisper liceat conquiescere.

Scaligeri sententia hæc est: Epidorp. p. 38.

*Ne jactet avi stemmata, ne patris talenta.*

*Non dote, sed esto ardua Matrona pudore.*

Et idem ibid. p. 124.

*Tu Conjugy cupidus liberis creandis:*

*Illis ducere poteris sordidam parentem,*

*Spretãq; probã paupere divitem cloacã?*

*Aurum tibi sic queritur, haud fœmina conjux.*

Lepidissimum est illud Andreæ Gail Icti carmen, quo suã ali-  
quando futuræ conjugis ideam quasi finxit, & fictam sic ludens ex-  
pressit:

*Si qua mihi virgo contingat nubilã, esto*

*Non mendica nimis, non opulenta nimis.*

*Par opibus, generiq; meo, par religioni,*

*Non ea pulcra nimis, non ea sœda nimis.*

*Sed medios habeat laudati corporis artus,*

*Non ea longa nimis, non ea parva nimis.*

*Conjugis ut servet nullis irrisa decorem,*

*Non ea crassa nimis, non ea macra nimis.*

*Vestibus incedat mundis, et semper honeste:*

*Non ea compta nimis, non ea spreta nimis.*

*Expectet patiens & serri debita lecti,*

*Non lasciva nimis, non pudibunda nimis.*

Hæc leviora non nisi animi gratia. Quæ si qui aliter interpre-  
tentur, more nostro satis habeamus, & acquiescamus. Neque enim  
vel nos moramur hos, vel ipsi nos morantur.

**F I N I S.**



Fc 1249.  
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein  
Sammelbd. verwenden

nach Ausleihe  
an Retro-Ecke


OK

Zurück!

VD 17











an 15

TIO II.

**TIBUS**

**GENERE,**

**DEAMO-**

**DIO.**

Trinitatis:  
*tatis Philosophica*

**VVitebergenfi**

*adam proponunt*

**HARDKOPF**

**Saxo:**

**PHANI Hil-**

**axo.**

*is. p. 289.*

*ersione civilitatis, tum habet*

*emperato.*

**Collegio Philo-**

**atutinis.**

**R G Æ,**

**Joan. Gorman,**

**C. VIII.**

48

